

F R A N C O N I A

Hæc & Francia orientalis appellatur, habetq; id nominis à Franco Sicamborum duce, à quo Galliæ quædam pars Francia nuncupata putatur. Cum enim circa annum Christi 325. implacabile dissidium esset natum inter Thuringos & Sueuos, uocatus à Thuringis Genebaldus dux Francorum, eorum scilicet qui tunc iuxta ostia Rheni habitabant, ut ipsis contra Sueuos auxilium ferret, uenit cum magna Francorum multitudine, datusq; est eis locus inter Thuringos & Sueuos, qui ueluti murus solidissimus hos ab illis diremerunt, sustuleruntq; dissidium. Duci Genebaldo sucessit Dagobertus, & tertius aue quartus ab illo fuit Gosbertus, sub quo sanctus Kylianus cōuertit Francones ad fidem Christi. Ultimus dux fuit Hetanus, in cuius defuncti locum Pipinus rex substituit sanctum Burchardum episcopum Herbipolensem, eidem & omnibus eius successoribus tradens ducatum Franconię, anno scilicet salutis 752. qui & in hunc usq; diem ducatui & episcopatui presunt. Est autē ferè tota Franconia regio fertilis, triticum & omne frumentum legumenq; in ea satum, multo cum fœnore cultoribus restituens. Profert & optimū uīnum, Alsatico nequaquam inferius. Terra ipsa pro magna parte plana est, paucos habens montes, sed plurimos colles, præsertim iuxta Moganum flu. qui medium perlabitur regionem, & iuxta Thuberum, qui apud Sueuos natus, irrigataq; Franconię extremitate, ruit in Moganum. Sylvas habet multas, & inter eas quasdam insigne, regionem ipsam quasi propugnantes, ut sunt Ottonica, Speshartica & Thuringica. Quidam annumerant & Bohemicam, à qua non procul oritur Moganus ex monte Fichtelberg, unde & alij tres profluunt amnes, Nabus, Sala & Egra. Habet Franconia duas ciuitates episcopales, Herbipolim, quæ & Peapo lis & Marcopolis, & uulgo Vuirtzpurgum uocantur, & Babenbergam, quam uulgo Bambergā appellant. Herbipolensis episcopus dux est Franconię, non totius sed maioris partis, cum & episcopus Babenbergensis magnam habeat ditionem in ea, præsertim in Voitlandia, & similiter Marchio Brandenburgen sis. In Babenbergensi agro crescit mellea illa radix, quam glycerhyssam uocat, effoditurq; in tanta copia, ut ingentes currus ea onerati, in diuersas abducatur regiones. In confinio Franconia est sita celeberrima Nurnbergæ urbs in arenoso solo, unde nihil ferè commoditatis haberi potest, nisi terra ipsa multo labore maceretur, pastinetur & stercoretur. Hinc est quod huius urbis ciues omnes exercent artificia, aut negotijs intendunt, & diuitias quas ex sterili terra eruere nequeunt, ex uarijs ingeniosisq; artificijs multo felicius cōquirunt. Anno Christi 911. sub Conrado imperatore, uel, ut alij dicunt, anno 1140. sub Henrico imperatore erectus est Burg grauiatus Nurnbergeñ. Et cum circa annum Christi 1275. Burggrauiorum semen desiceret, rex Rudolfus, comes ab Habsburg, sororium suum Fridericum, comitem à Zollern, Burggrauiatui prefecit. Et huius quoq; filius, nepos & pronepos comitatum illum possederunt. Cum autē sub imperatore Sigismundo, Marca Brandenburgen, destitueretur virili successe, Burggrauius Nurnbergensis, Fridericus nomine, obtinuit in concilio Constantiensi, anno scilicet Christi 1417. dictam Marcam, erogata magna pecunia quam Nurnbergenses suppeditauerunt, quatenus ab illius iurisdictione liberarentur. Sicq; præter titulum inanem Burggrauius nihil iuris sibi in urbe retinuit, maiorem consequutus ditionem.